



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et  
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.  
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.  
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana  
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

**Laymann, Paul**

**Dilingæ, 1673**

Capitvlvm VIII. Venerabilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

Not. II. Si sententia vel laudum arbitri, quod secundum se irritum, à Pontifice confirmetur in forma communi, non ideo valorem consequitur, quia confirmatio in forma communi actui non subsistenti nihil confert, sicuti dixi in c. 1. h. 2. Censetur autem confirmatio facta in forma communi, si clausula adiecta sit, confirmantis actum sicuti providè gestus est, dummodo vocula *sicuti* accipiatur conditionaliter, non causaliter, ut dicitur: c. sequente.

## CAPITVLVM VIII.

## Venerabilis.

## PARAPHRASIS.

Inter ArchiEpiscopum Niconiensem & Coepiscopos eius, ex una parte, & Regem, Barones, ac milites Cypri ex altera parte supra quibusdam decimis, interveniente Episcopo Apostolica tunc Sedis legato amicabile compositio facta est, eo adiecto, ut quanto ius Apostolica autoritate confirmaretur, & tunc statim executioni mandaretur.

Postquam verò Pontifex eam confirmavit, & ad maiorem rei evidentiam literis confirmationis tenorem compositionis inseruit, Rex cum suis eam servare recusavit, frivole prætendens, partim quòd in literis Papæ verbum *confirmationis* ante tenorem compositionis contra Romanæ Curia stylum positum sit, partim quòd clausula usitata, *sicuti sine pravitate providè facta fuit* in eisdem literis contineatur. His tamen nihil obstantibus mandat Honorius, si res ita se habeat, ut Rex cum suis dictam compositionem adimpleat.

## SUMMARIUM.

1. Confirmationem, in qua exprimitur tenor transactionis, Superior ex certa scientia confirmare videtur.
2. In clausula: Sicuti sine pravitate providè factum est: adiecta à Papa Dispositione post plenam eius notitiam: vox Sicut, non conditionaliter, sed causaliter accipienda est.

NOT. I. Si in confirmatione exprimat tenor transactionis alteriusve dispositionis, quæ confirmatur, tunc Superior cõfir-

mans, ex certa scientia cõfirmare videtur. vide, quæ dixi in c. 1. ibidem. Beroius. n. 29. h. 2.

Not. II. Si Pontifex post plenam notitiã transactionis, alteriusve dispositionis, eam confirmat adiecta clausulã *sicuti sine pravitate providè factum est*. Vocula *sicuti* accipi debet non conditionaliter, sed causalitè, ut sensus sit: quandoquidem rectè transactum, ideo transactionem confirmamus. operatur autem talis confirmatio ex certa scientia, ut nec pars altera, nec Iudex aliquis inferior prætextu alicuius defectus in dubium revocare aut rescindere possit.

## CAPITVLVM IX. &amp; VIc.

## Sua.

## PARAPHRASIS.

Legatus à latere quædam Monasteria aliis Ecclesiasticis Conventibus aut Clericis Diocesis Constantinopolitanæ contulit, aut incorporavit, easque collationes Papa confirmavit. Quà occasione acceptã, ij, quibus collatio, aut incorporatio facta erat, Patriarche obedire & jura patriarchalia præstare recusarunt. Hoc intellecto Honorius III. scribit, se nolle, ut per eiusmodi collationes & cõfirmationes jura Diocesanæ minuantur, aut tollantur; quare mandat, ut reiecta hæc irrationabili præensione ij, quibus tales collationes factæ sunt, Patriarchæ reverentiã & obedientiã exhibeant, eique jura debita persolvant.

## SUMMARIUM.

1. Monasteria, præter eorum primam fundationem, aliis Ecclesiis aut Ecclesiasticis personis conferri possunt ex causa rationabili.
2. Et talem mutationem etiam legatus à latere instituere potest.
3. Fundator non potest aliter velle Ecclesiasticam fundationem facere, nisi ut ea sub sit potestati & administrationi Ecclesiasticorum Pralatorum, præsertim Papæ, qui proinde de omnibus beneficiis Ecclesiasticis plenissimam disponendi potestatem habet.
4. Concessionem aut incorporationem Monasteriorum, aliarumque Ecclesiarum, si Episcopo subiecta fuerint, fieri censentur salvo jure Episcopali.